

quod deaurata est, vocatur: ibi pro signo, virum tuum, pro cuius incolunitatis statu sollicita es, obvium habebis. Cum hæc igitur ita eveniret, scito quod quæ annuncio, sine dubio complenda erunt.

Igitur juxta angeli præceptum: uterque de loco in quo erant promoventes, ascenderunt Jerusalem: & cum ad locum pervenissent, angelico vaticinio designatum, ibi sibi invicem obviaverunt. Tunc de mutua sua visione lati: & promissa prolis certitudine securi, debitas Domino humilium exaltatori, gratias egerunt. Itaque adorato Domino domum regressi, divinum promissum certi & hilares expectabant. Conceptit ergo Anna, & peperit filiam: & juxta mandatum angelicum, parentes vocabant nomen ejus Mariam. Cumque trium annorum circulus volveretur, & ablationis tempus completum esset: ad templum Domini virginem cum oblationibus adduxerunt.

Erant autem circa templum, juxta quindecim graduum psalmos, quindecim ascensionis gradus. Nam quia templum erat in monte constitutum altare holocausti quod forinsecus erat, adiri, nisi gradibus non valebat. In horum itaque uno, beatam virginem Mariam parvulam parentes constituerunt. Cumque ipsi vestimenta quæ in itinere habuerant exuerent, & cultioribus ex more vestibus se & mandioribus induerent: virgo Domini cunctos figillatim gradus, sine ducentis & levantis manu ita ascendit, ut perfectæ ætati in hac duntaxat causa nihil deesse putares. Jam quippe Dominus in virginis suæ infantia, magnum quid operabatur: & quanta futura esset, hujus miraculi indicio præmonstrabat.

Igitur sacrificio, secundum consuetudinem legis celebrato, & voto suo perfecto: virginem intra septa templi, cum aliis virginibus ibidem educandam dimiserunt: ipsi vero, domum regressi sunt. Virgo autem Domini, cum ætatis processu & virtutibus proficiebat: & juxta Psalmistam, pater & mater dereliquerant eam: Dominus autem assumpsit eam. Quotidie namque ab angelis frequentabatur: quotidie divina visione fruebatur: quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat. Itaque ad quartum decimum annum usque pervenit, ut non solum nihil de ea mali reprehensione dignum cõfingere possent: sed & boni omnes qui eam noverant, vitam & conversationem ejus, admiratione dignam judicarent.

Tunc pontifex publicè denunciabat, ut virgines quæ in templo constituebantur, & hoc ætatis tempus impleverant, domum revertentur: & nuptiis secundum morem gentis, & ætatis maturitatem, operam darent. Cui mandato cum cætera prone paruisset: sola virgo Domini Maria hoc se facere non posse, respondit dicens: Se quidem & parentes suos Domini servitio mancipasse: & insuper se ipsam Domino virginitatem vovisse: quam nunquam viro aliquo commixtionis more cognito, violare vellet. Pontifex vero in angustia confusus animi, cum neque contra scripturam, quæ dicit: Vovete & reddite, votum infringendum putaret: neque morem genti inlucetum introducere auderet, præcepit ut ad festivitatem quæ imminet, omnes ex Jerusalem & vicinis locis primores adessent: quorum consilio scire possent, quid de tam dubia re faciendum esset.

Quod cum fieret, omnibus in commune placuit Dominum super hac re esse consulendum. Et cunctis quidem orationi incumbentibus, pontifex ad consulendum Deum, ex more accessit. Nec mora cunctis audientibus, de oraculo & de propitiatorii loco, vox facta est secundum Isaiæ vaticinium, requirendum esse cui virgo illa commendari & desponsari deberet. Liquebat enim Isaiam dicere: Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilii & fortitudinis: spiritus scientiæ & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini. Secundum hanc ergo prophetiam, cunctos de domo & familia David, nuptui habiles, non conjugatos, virgas suas allaturos ad altare prædixit: & cujuscumque post allationem virgula florem germinasset: & in ejus cacumine Spiritus Domini in specie columbæ confedisset: ipsum esse cui virgo commendari & desponsari deberet.

Erant autem inter cæteros Joseph, homo de domo & familia David grandævus: cunctis vero virgas suas juxta ordinem deferentibus, solus ipse suam subtraxit. Unde cum nihil divinæ voci consonum apparuisset: pontifex iterato Deum

consulendum putavit. Qui respondit solum illum ex his qui designati erant, virginem suam non attulisse, qui virginem desponsare deberet. Proditus est itaque Joseph. Cum enim virgam suam attulisset: & in cacumine ejus, columba de cælo veniens confedisset: liquido omnibus patuit ei virginem desponsandam fore. Igitur nuptiarum jure de more celebrato, ipse quidem in Bethleem recedit civitatem, domum suam depositurus, & nuptiis necessaria procuraturus. Virgo autem Domini Maria, cum aliis septem virginibus coarvis & collatæneis, quas à sacerdote acceperat, ad domum parentum suorum in Galilæam reversa est.

His vero diebus, primo scilicet adventus sui in Galilæam tempore, missus est ad eam angelus Gabriël à Deo: qui ei conceptum dominicum narraret, & conceptionis, vel modum vel ordinem exponeret. Denique ingressus ad eam cubiculum quidem ubi manebat, ingenti lumine perfudit: ipsam vero gratantissimè salutans, dixit: Ave Maria virgo Domini gratissima: virgo gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu præ omnibus mulieribus: benedicta præ omnibus hæcenus natis hominibus. Virgo autem quæ jam angelicos bene noverat vultus, & lumen cæleste inlucetum non habebat: neque angelica visione territa, neque luminis magnitudine stupefacta: sed in solo ejus sermone turbata est: & cogitare cœpit qualis ista salutatio, tam insolita esse posset, quidve portenderet, vel quem finem esset habitura. Huic cogitationi, angelus divinitus inspiratus occurrens: Ne timeas, inquit, Maria, quasi aliquid contrarium tue castitati hac salutatione prætexam. Invenisti enim gratiam apud Dominum: quia castitatem elegisti. Ideoque virgo sine peccato concipies & paries filium. Hic erit magnus, qui dominabitur à mari usque ad mare: & à flumine usque ad terminos orbis terræ. Et filius altissimi vocabitur: quia qui in terris nascitur humilis, in cælo regnat sublimis. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Ipse quippe rex regum & Dominus dominantium est: & thronus ejus in sæculum sæculi.

His angeli verbis, virgo non incredula, sed modum scire volens, respondit: Quomodo istud fieri potest? Nam cum ipsa virum juxta votum meum nunquam cognosco: quomodo sine virilis seminis incremento parere possum? Ad hoc angelus: Ne existimes, inquit, Maria quod humano more concipias. Nam sine virili commixtione, virgo concipies, virgo paries, virgo nutries. Spiritus enim sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, contra omnes ardores libidinis. Ideoque quod nascetur ex te, solum erit sanctum: quia solum sine peccato conceptum, & natum, vocabitur Filius Dei. Tunc Maria manibus expansis, & oculis ad cælum levatis, dixit: Ecce ancilla Domini, neque enim dominæ nomine digna sum, fiat mihi secundum verbum tuum. Longum fortè & quibusdam tædiosum erit, si cuncta huic opusculo inferere voluerimus: quæ nativitate dominicam vel præcessisse vel subsecuta fuisse legimus. Unde his omisiss, quæ in Evangelio plenius scripta sunt, ad ea quæ minus habentur, narranda accedamus. Joseph igitur à Judea in Galilæam veniens, desponsatam sibi virginem, uxorem ducere intendebat: jam namque tres fluxerant menses, & quartus instabat, ex eo tempore quo sibi desponsata fuerat. Interea paulatim utero puerperæ intumescente, puerperam se manifestare cœpit: neque hoc latere potuit Joseph. Nam sponsi more liberius ad virginem introiens, & familiaris cum ea loquens, gravidam esse deprehendit.

Æstare itaque animo & fluctuare cœpit: quia ignorabat quid sibi potissimum esset faciendum. Neque enim eam traducere voluit, quia justus erat. Neque fornicationis suspicione infamare, quia pius. Itaque cogitabat clam dissolvere conjugium: & occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini ei apparuit in somnis, dicens: Joseph fili David noli timere: hoc est, ne velis fornicationis suspicionem in virgine habere, vel aliquid finistrum cogitare, neque timeas eam in uxorem ducere. Quod enim in ea natum est, & nunc animum tuum angit: non hominis, sed Spiritus sancti est opus. Pariet enim omnium virgo sola Dei filium, & vocabis nomen ejus Jesum, id est salvatorem: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Igitur Joseph secundum angeli præceptum virginem uxorem duxit: nec tamen cognovit eam, sed castè procurans custodivit. Jamque nonus à conceptione instabat mensis,

mens, cum Joseph uxore, cum aliis quæ necessaria erant assumpta, Bethleem civitatem unde ipse erat, tetendit. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: & peperit filium primogenitum, sicut sancti Evangelistæ docuerunt, Dominum nostrum Jesum Christum: qui cum Patre & Filio & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

#### CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

*Eadem sciendia, eadem eruditio, idem sermonis lepos. Illud ridiculum, hominem ne tantulum quidem potuisse dictionis figuram variare. Omni, quod aiunt, pedi eundem inducit calcem. Apud hunc artificem eodem utuntur charactere omnes, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Eusebius, & Ambrosius: apud hunc opinor balbutiret ipse Tullius. Illud breviter admonere pium lectorem, nihil esse, in quo bonarum horarum ullam partem collocet: nec eget divus Hieronymus hujusmodi fucis, nec dignatur à tam infuso pingi artifice.*

#### EUSEBIUS DE MORTE Hieronymi ad Damascum.

**P**ATRI Reverendissimo Damaso Portuensi Episcopo: & Christianissimo Theodosio Romanorum senatori. Eusebius olim Hieronymi sanctissimi discipulus, nunc vero eodem orbatus lumine, pium dolorem & suavissimum gaudium, Multifariam multisque modis olim Deus locutus est omnibus, nobis per suum dilectissimum filium sanctum Hieronymum, & Scripturis sanctis in virtutibus & prodigiis multis: quæ per illum fecit ipse Dominus in medio nostri, sicut vos scitis, de quo & testes sumus, qui cum vidimus, & oculis nostris ejus sanctitatem perspeximus: & manus nostræ contrectaverunt de verbo ejus scientiæ & doctrinæ, quibus vita manifestata est.

Quod ergo vidimus & audivimus, annunciamus vobis. Eramus enim tanquam oves errantes, erroneis & superstitionis fabulis: non audientes sanam doctrinam: sed coacerantes nobis pseudoprophetas: qui surgentes in populo magister mendaces, introducebant sceleris variae perditionis, donec ite illucesceret dies, qui tanquam sol resurgens, quinquaginta annis & sex mensibus, multis laboribus & ærumnis, in lectionibus & vigiliis: ut nobis frangeret panem doctrinæ defudans, tenebras errorum profugans, & cunctos à perditione liberans, effulsit in Templo Dei; incipientesque ab Oriente usque ad Occidentem, auferens bella hæreticorum, eorumque arcum conterens: arma & scuta eorum combussit igni. Quoniam in ipso Deo posuit prodigia super terram, ut nomen suum manifestum fieret in nationibus.

Deinde pertransiens usque ad fines terræ, sanando oppressos ab hæreticorum jaculis, illuminando mentes hominum, scripturarum ænigmata referendo, solvendo nodos, obscura dilucidando, dubia exponendo, confutando & corrigendo falsitates, & verissima ex linguis quamplurimis adunando, ut nobis notas faceret vias vite, & nos adimpleret gaudio, læticia & exultatione: Templum Domini corroboravit, & ejus aditum instar lucernæ non sub modio, sed supra candlebrum in Domini aula posita, dominico irriguo rore plenissimè fecundata, posteris omnibus suorum verborum præ cæteris elegantia singulari, excellentius omnibus aliis patefecit: ut irent in civitatem habitationis, & locum gloriæ invenirent: & ne fierent velut priores eorum genus peramarum, quos direxit & liberavit ab errorum perditione.

Cum enim sim sicut stipula ante faciem venti, & sicut lutum platearum balbutiens, loqui nesciens, nec verba plenè formare valens: quid impertiar vobis charissimi patres & Domini suæ laudis? Nempe juxta illud Apostoli: Si linguis hominum loquerer & angelorum, suum laudandi genus necdum attingerem. Idcirco non in arcu meo sperabo: nec gladius meus salvabit me: sed Dominus erit illuminatio mea. Qui docuit & docebit manum meam ad scribendum, & dirigit linguam meam ad loquendum, ut quondam afina Balaam. Quoniam ipse est regnum & imperium, & dominatur à mari usque ad mare: & à flumine usque ad terminos orbis terrarum: In cuius cuncta sunt posita ditione: coram

Tom. V.

quo procident reges: nec est qui suæ possit resistere voluntari. Quoniam omnia quæcumque voluit, fecit, in cælo, in terra, mari, & in abyssi. Et sic lingua mea tanti viri laudem medietabitur: & nomen suum annunciet universis.

Hic verè fuit ille Israëlita, in quo dolus non fuit: electus secundum cor Domini, ad loquendum omnia quæ sibi mandaverat Dominus, universis gentibus, & regnis, & doctor datus in gentibus: ut sentes evelleret, destrueret, disperderet, & dissiparet: & sapientiam veram seminaret, edificaret, atque plantaret. Hic est fratrum amator: hic est qui populo Christiano tot librorum volumina ex linguis Hebraica & Græca in Latinam, non parvo pondere transtulit. Ecclesiæ officium primitus ordinavit: & totius sacre Scripturæ aspera fecit plana. Certè in hujus lumine videmus lumen: & pane suæ salutiferæ doctrinæ pasti, ambulamus usque ad montem Dei Oreb. Hic est flumen aquæ vivæ splendidum tanquam crystallus, procedens de sede Dei in medio Ecclesiæ. Et ex utraque parte ejus lignum vitæ, afferens fructus tempore suo: cujus folia ligni, sunt ad gentium sanctitatem. Vir iste in populo suo mitissimus apparuit, & Deo dilectus & hominibus, orat nunc pro Ecclesiâ sancta. Vas verè admirabile, omni ornatum lapide pretioso, opus excelsum.

Verumtamen de hoc quid plura dicam? cujus enarrant cæli gloriam, & opera scripturarum manuum ejus annunciat firmamentum? Nec sint loquelæ neque sermones, cujus non audiantur doctrinæ verba: cum in omnem terram exiit sonus ejus.

O ineffabilis misericordia salvatoris: quæ tibi gratiarum cumulos in Hieronymo adunasti: ut ad ea quæ solus possidet, penè nulli hominum nisi particulariter fas sit aspirare. Hic certè dux nostræ fidei ad se currentes in cæli contrahit arcem. Hunc præ cæteris potioribus ornatum insigni dignitatum, in cantilenis & proverbis, operationibus & interpretationibus miratæ sunt gentes. Cujus nota facta est in populis virtus: quia impletus est quasi flumine sapientia. Sed ut vera dicam, juxta illud reginæ Saba: Major est enim sapientia & opera sua, quam rumor quem audistis. Quam certè bonus est iste his qui recto sunt corde: quoniam malitiam semper odit. Fecit enim mirabilia in terra nostra. Sub umbra illius sedimus: & fructus illius dulcis gutturi nostro. Quanta autem de eo audivimus & cognovimus: quomodo annunciamus?

Atque ego qui sum ut narrem laudem ejus, & virtutes ejus, & mirabilia quæ fecit? Sed quoniam non sum eloquens ab heri nudius tertius, ut breviter dicam, si vultis accipere. Joannes Baptista ipse est, uterque virgo: uterque Eremita. De Joanne dicitur: Erat Joannes vestitus pilis camelorum in deserto. De se idem Hieronymus dicit: Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis, situm Æthiopicæ carnis obdlexerat. De Joanne iterum: Locustas & mel sylvestre edebat. De se iterum Hieronymus dicit: De cibis & potu taceo: cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Quid plura? Ille propter justitiam martyr: iste verò etiam ejus spiritum materiale ferrum non abstulit, tamen martyrii præmii non est expertus. Duplex namque martyrium est. Unum, succumbere gladiis impiorum. Alterum, in infirmitatibus & adversitatibus in animo patientiam custodire.

Certè hic est verè martyr, qui propter justitiam, & mansuetudinem, & salutiferam doctrinam suam verba, in hujus mundi lachrymarum salo, certamen forte à malorum cætu viriliter supportavit, sciens quoniam omnium fortior est sapientia. Nec imple gessit in conspectu Dei: sed in omnibus tribulationibus suis, invocans Dominum, non peccavit labiis suis: nec stultum aliquid contra Deum locutus est. Taceam namque quot tribulationes, labores, afflictiones, cruciatus, agones, flagella, fames, sitim, amaritudines, tempestates, tentationes, abstinentias, vigiliis, peregrinationes, carnis macerationes, nuditates, jejunia, ærumnas: & non solum hæc, sed graviora & innumerabilia propter Jesu Christi nomen, in suo gloriosissimo perpessus est corpore, ut idem loquatur.

Stabat in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exulta solis ardoribus, monachis horridum præstat habitaculum: cogitans me Romanis potiri deliciis, quotidie gemitus, quotidie lachrymæ. Et si quando me somnus imminens oppressisset repugnantem: nuda humo vix ossa hæ-

F f



rentia collidebam. Horrebant sacco membra deformia, aqua frigida, languens urebar : & coctum aliquid accepisse, luxuria erat. Cutis mea propter incommoda lqualida, carnis Æthiopicæ situm obduxerat : & tamen socius scorpionum tantum & ferarum, saepe choris intereram puellarum : & in frigido corpore, etiam in præmortuo jam homine, sola libidinum incendia bulliebant. Teste Deo memini me diem crebrò junxisse cum nocte, nec à pectoris cessasse verberibus, donec jubente Domino, in me rediret tranquillitas. Flebam continè, & repugnantem carnem, hebdomadarum inedia subjugabam. Cellulam meam quasi cogitationem consciam pertimescebam, & mihi metus iratus & rigidus, solus deserta penettabam : & si concava vallium, & prærupta montium cernebam, illud meæ miserimæ carnis erat ergastulum, ibi meæ orationis locus.

Quis ergo infirmatus est, & non ipse? Quis scandalizatus, & non ille? Sed si in infirmitatibus & laboribus laudandi sunt sancti, certè & hic laudandus est. Veniam autem ad contumelias, & persecutiones, quas ab improbis & falsis perulit fratibus in hujus valle miseræ. Quid aliud in hoc mundo sua semper fuit vita, nisi quædam jugis adversus improbos hæreticorum omnium & malorum cuneos pugna, contumeliamque certamen? Super eum rugierunt ut leones hæretici, quoniam corripuit eos & tabescere fecit sicut arenas animas eorum : & fructus eorum de terra perdidit, & semen eorum à filiis hominum.

Aperuerunt in eum clerici lascivii dediti ora sua, & depexerunt eum, & locuti sunt labiis dolosis, & odio iniquo oderunt eum: quoniam eorum infectatus est vitam pessimam & crimina. Circumderunt eum canes multi, & tauri pingues obfuderunt eum : & insurrexerunt in eum testes iniqui, acuentes linguas suas sicut serpentes, & venenum aspidum sub labiis eorum, cogitantes malitias in corde, tota die constituentes prælia, supplantantes gressus ejus. Et fures extendunt in laqueos pedibus ejus, ut delerent de terra memoriam ejus, & egerent eum de nationibus, ut opprobrium fieret vicinis suis.

Super Romanum populum fuit magnificentia ejus, & virtus ejus mirabilis in verbis, & sanctus in omnibus operibus suis, allevans corruentes, solvens compeditos, illuminans cæcos, & dirigens justos, dans fortitudinem & virtutem plebi Dei, & quasi tuba altisonans, annuncians cunctis iniquis scelera : portas peccatorum, & vectes ferreos confregit romphæa doctrinæ suæ. Audientes autem hæc impii, dissecabantur cordibus suis : & stridentem dentibus in eum, cogitaverunt & locuti sunt nequitiis. Arcum suum retenderunt, & illum paraverunt, & in ipso paraverunt vasa mortis.

Cum autem esset ille plenus Spiritu sancto, in orationibus & in operibus bonis perseverans, vitia mortificans, bona vivificans, suscitans de pulvere egenum, & de stercore erigens pauperem : Quoniam non in viribus equi, neque in tabernaculis viri beneplacitum fuit sibi, nec speravit in divitiis, sed fortitudine Domini corroboratus : non formidavit adversarios suos, sed super ipsos correctionibus & doctrinis sanctis tonuit, dans imperium regi suo, & sublimans cornu Christi sui. Alios docens laborando, sicut bonus miles Christi, sciens quod non coronabitur qui in agone certat, nisi legitime certaverit. Videntes autem hæc viri iniqui, irati sunt, & dolores comprehenderunt eos : quia sunt generatio prava & perversa, filii in quibus fides aliqua non est. Et exacerbaverunt eum in consiliis, & in abominationibus suis ad iracundiam concitaverunt ipsum. Et perditio consilio sine disciplina, veste muliebri irritantes ei, tanquam viro luxurioso & iniquo, impetum fecerunt unanimiter in eum, & ejecerunt eum extra Romanam civitatem. At ille benignus, patiens, humilis, & mansuetus, eorum vesania locum dans : projiciens post tergum suum omnia peccata eorum.

Recedens inde peragravit in Constantinopolim, ad antistitem sanctissimum Gregorium Nazianzenum. O vir ineffabilis, ô virtutum vas admirabile, ô splendor patientiæ, ô lampas præfulgida, ô diadema honoris & gloriæ, angularis lapis firmissimus, exemplar innocentie, columna aurea, & totius Ecclesiæ fundamentum. Cum plus tunderis, minus confunderis. Agnus innocens quid loqueris, pressus collo tot jugis? Gratias ago Deo meo : quia dignus sum habitus, ut me odiat mundus. Scio me namque pervenire ad celestem

gloriam per infamiam & bonam famam. Aperuit autem celos patientia ejus : quia ibi confirmata semper fuit virtus gloriæ ejus : & in Deo posuit firmam fortitudinem suam : nec à Domino recessit unquam cor ejus. Arcus fortium superatus est : & ipse accinctus est robore, & prævaluit in infirmitate sua : & fortis factus est in bello, & dextera sua glorificata est in virtute. Dextera manus sua confregit inimicos : quoniam adjutor & protector factus est sibi Dominus in salutem.

Et ideo cantemus Domino, quoniam magnificè fecit. Annunciemus hoc in universa terra. Hauriamus aquas in gaudio de fontibus salvatoris. Evanuerunt impii de cogitationibus suis : quia obscuratum fuit insipiens cor eorum, & credentes se esse sapientes in malitiis suis, stulti facti sunt : quia mutaverunt veritatem in mendacium : sed tamen veritas de terra orta est, & justitia de celo prospexit. Etenim fatui, in lacum quem aperuerunt, & in foveam quam fecerunt, incidunt. Et justus nunquam fuit conturbatus : quia Dominus firmavit ejus manum.

Unde sanctissimi patres & Domini, considerate virum istum, quam fidelis & justus semper in domo Domini fuit, ad docendum nos, & illuminandum abscondita tenebrarum, & effugandum nequitiis peccatorum. De quo nobis grandis esset sermo, & ininterpretabilis ad dicendum : sed nimis imbecillis factus sum, quoniam introivit tremor in ossa mea : & subitus turbata sunt vestigia mea, ne nimis ascendam. Est enim angusta porta, & arcta via, & cibus iste solidus perfectorum est & sapientium, qui exercitatos habent sensus ad discretionem. Quapropter non modica relinquens, difficilia & ardua tanti viri ineffabilis : cujus laude plena est terra, cujus splendor est sicut lumen, & cornua sunt in manibus ejus, ad præsens sui exitus gloriosi aliqua brevissimè cupio referere.

Deus enim omnipotens, cujus misericordia præit ante faciem suam : qui & justus est, & rectum judicium suum : reddens mercedem laborum sanctorum suorum : pastor verus & bonus, in misericordia disponens omnia, & congregans oves suas in sinu suo, que novissimè diebus istis cursu intolerabili & oneroso, agonis gravissimi, in quo caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, feliciter consummato, portu jam dui conceptu, de navigatione hujus maris procellosi, in quo sunt reptilia innumerabilia, inimicorum agmina colluctantia : ut decipiant & trucident rectos corde jam obtento, dilectissimum filium suum Hieronymum exutum toga mortalitatis, & putredinis hujus carnis miserimæ, perpetuo immortalitatis brachio decoratum, ad cæleste atrium evocavit, ut quod videbat hic in ænigmate, ibi videat facie ad faciem.

Quem cum extrema ejus hora, egredi de corpore ejus urgeret : jam completis nonaginta & sex annis, febre æstusans valida, suos circa se voluit esse in unum filios, quos sicut novellas plantationes stabilivit à juventute sua. Quorum luctu vultus graves intuens, ut pius & misericors, his passim motus stertibus infremuit spiritu & lachrymans : imò aliquantulum elevans oculos, plana voce inquit : Fili Eusebi, cur istas inutiles fundis lachrymas? Nonne vanum est super defunctum fundere lachrymas? Quis vivens non videbit hujus corporis dissolutionem? Quod semel locutus est Deus & audisti, audes contradicere? Et nosti nullam posse resistere voluntati ejus. Jam fili rogo non secundum carnem ambules, flere desine. Certè nostræ militia, arma carnalia non sunt. Deinde vultu hilari & jucundo, alacri voce cæteros alloquens filios, exclamavit : Cesset mæror, luctus abeat, sit omnium una vox gaudentium. Quoniam ecce tempus acceptabile : ecce dies jubilationis & lætitiæ, præ omnibus diebus vitæ meæ : in quo fidelis Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, aperuit manum suam, ut meam exulem animam hucusque in carcere mortis hujus ob reatus mei genitoris Adæ, revocet ad supernam patriam, recuperatam sui filii sanguine pretioso.

Nolite filii dilectissimi, quos semper habui in visceribus charitatis, impedire gaudium meum, ne prohibeatis reddere terræ quod suum est. Corpus meum statim exiit, terræ date, ex qua factum est, ut redeat unde venit. Quibus finitibus verbis, omnes fratres lachrymis madefacti, denudantes suum sacratissimum corpus, ita squalidum & deforme abstinentiis, quod quidem terribile cunctorum visui cernebatur : nam tanta erat affectum macie, ut ossa ejus potuissent per

articulos numerari : sic verberibus cruentatum, ut leprosi potius corpus crederetur : nuda humo protinus tradiderunt, & ipsum sacco lineo cooperuerunt.

At ubi vir Domini, terræ sensit asperitatem : nimium jucundatus, conversusque ad fratres præ dolore & angustia lachrymarum fontibus inundantes, inquit : Hortor vos charissimi mei & dilectissimi filii, quos genui in visceribus Jesu Christi, per dilectionem & charitatem qua dilexi vos : ut pacificati nunc pacem habeatis. Deberis enim vos, tanquam Dei ministros, domesticos, & amicos decet, ad spiritualia anhælere : ut sitis aliis ad exemplum. Vos qui spirituales estis, cur istas tot infructuosas funditis lachrymas? Peccatorum vobis semper recordatio lachrymas inducat. Tanto prompti estote ad lachrymas, quanto fuitis ad culpam. Si quis peccato moritur, flere, Nam si malus cum per penitentiam à morte surgit, angeli gaudent in caelis : certè si bonus peccato moritur, angeli dolent. Me vero non tanquam morientem luceatis : sed mecum tanquam portum salutis attingentem gaudete.

Quid imbecillius miseria hujus vitæ, qua tot dolorum & passionum agminibus circumdamur : ut nulla penè hora sit, in qua vivens quicumque homo liber à dolore transcat? Si dives, undique angustiatum timore, ne quod possidet, amittat. Si pauper moritur, quiescit ut inveniat. Si bonus, hinc diaboli timet periculum : hinc ne navis mortalitatis corporis, in hujus mundi pelago naufragetur, non mediocriter pertimescit. Idcirco nullus sexus, vel ætas, vel conditio, doloris transit expers, quousque in hac manet miseria vitæ. Si quid in me esse scitis meum impediens iter, doleat.

Heu quod navigantium per hoc mare magnum & spatiosum in quo sum, tot diversa genera inimicorum, secundum cujuslibet virum quantitate colluctantium, post multam navigandi felicitatem, post multas victorias jam credentes finem capere peroptatum, aliqua diabolica suggestione in hac hora in laqueum perditionis, sua indiscretione pervenerunt? Heu quot hic & vita recommendat & fama, quibus unico peccati assensu dira mors imminet & ruina? Idcirco dum vivitis, timeatis fratres. Principium sapientiæ, timor Domini. Vita nostra, militia est super terram : qui hic vicerit, alibi coronabitur. Dum hæc pelle tegimur, nulla nobis inest certa victoria. Si noster genitor timuisset, nunquam cecidisset. Principium omnium malorum, sui præsumptio. Qui non timet, de se præsumit. Quomodo inter latrones quis onustus auro securus graditur? Salvator quid nos aliud docet, nisi timere? Vigilate, inquit, quia nescitis qua hora fur venturus est. Nam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilet utique, & non sineret perfodi domum suam. Summus ille claviger Petrus : Sobrii, inquit, estote fratres, & vigilate : quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circumit querens quem devoret.

Nemo inter serpentes cum securitate habitat. Qui sanctior & sapientior est, plus semper timeat. Nam qui altius est cadens, majores casus recipit. Esca diaboli, electa est : de malis non curat, quia sui sunt. Cecidit ille sapiens Salomon : cecidit & ejus genitor David, electus secundum cor Dei. Timeatis fratres : iterum rogo undique timeatis : quia beatus est vir timens Dominum. Etenim si consistant adversam eum castra : non timebit cor ejus. Si exurrexerit in eum prælium : in hoc ipse sperabit. Perfectus Dei timor, foras vanum mittit timorem. Timorem vanum non habet charitas. Charitas & timor Dei, unum sunt. Considerans enim hæc Propheta, clamans dicebat : Confuge timore tuo carnes meas. Qui ex vobis est cupiens videre dies bonos : accedat hæc, & illuminetur : & facies sua non confundetur. Qui timet Deum, faciet bona : & demorabitur in bonis anima ejus : & semen ejus hæreditate possidebit terram. Quia firmamentum est Dominus timentibus eum : & testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Si quid boni facitis, cum magna cautela timeatis. Multi bona faciunt, quorum fructus surripit humana laudis appetitus. Decem fuerunt virgines : & tamen mediæ de cæli ostio sunt exclusæ. Heu quot hodie sacro sunt renati baptismate, & Christiano funguntur nomine : quibus foret melius non fuisse. Est enim gehennalis poena paganorum infinito minor, quam malorum Christianorum. Utinam non foret talium major pars. Navis undique sana, unico mergitur foramine. Erraverunt homines in hac lata solitudine, alii colla jugo avaritiæ submittentés, alii luxuriæ fœditate, ut turpissima

sues deturpati : alii circa inutilia diripienda occupati. Unde abjecto rationis usu cooperantes, ut jumenta insipientia, & utinam similes essent illis, viam civitatis novæ Jerusalem non invenerunt.

In regnum cælorum, reprobis nullus ingreditur. Centuplo arcta est via ejus quam creditur, quamvis larga sit verè timentibus. Timenti Centurioni promittit Christus ad eum accedere : præfumentis regulo, cum illo ire ipse negat. Verè non omnes hodie obediunt Evangelio. Veniet, dicebat Apostolus, tempus in quo sanam doctrinam non sustinebunt homines. Plures prædicant : sed non omnes veritatem prædicant, simplicium corda in peccatis alligant. Alligant onera gravia in peccatis minimis, in gravibus oculo transcutunt conivente. Est enim doctor falsus gladius anceps : hinc scindit opere & exemplo : hic percussit & interficit verbis dolosis & iniquis. Quomodo ignis frigiditatem donat, aqua caliditatem? Lapis quomodo sursum graditur? Et vir luxuriosus quomodo prædicabit castitatem? Et si prædicat, quæ audientibus inde veniet utilitas?

Quid potest dicere audiens, nisi quare voce prædicans, quæ opere denegas? Bene loquens ore, & malè vivens opere, semetipsum damnat. Ecce quantum Deo talis prædicatio sit acceptabilis, ostenditur per Psalmistam : Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam : & projecisti sermones meos post te. Multi legunt grandia, addiscunt ardua, subtiliter disputant, ornate loquuntur, ut à populo honores capiant : in plebibus magistri nominentur, & nihil faciunt.

Si experto creditur, mihi credite. Plus movet corda hominum vitæ sanctitas, quam ornata eloquia. Facite, & postea prædicare. Cæpit Jesus facere, & postea prædicare. Valet facere sine prædicare, sed non prædicare sine facere. Non dixit Deus, Qui prædicaverit voluntatem patris mei : sed, qui fecerit. Non vituperò prædicationem, nisi non facientium ea quæ prædicant. Subtilium verborum doctor tantum & non operum, est quædam levis aurium inflatio, & veritatis fumus, cito sine fructu pertransiens.

Intelligite fratres, intelligite quæ dico : Multo plus mereatur qui facit & prædicat, quam qui facit & tacet. Si bonum solus facio, mihi soli profum : sed si prædicans facio, & mihi & aliis profum. Unde qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sunt enim sancti prædicatores lux ad illuminandum : quia per eorum doctrinam corda caligantia & cæca nube peccati, à Christo vero lumine qui lucet in tenebris, illuminantur. Sunt sal etiam ad condendum verbum Dei, quod cibus est animæ operibus bonis.

Cuiuslibet scienti injungitur prædicationis officium, dummodo faciat : imò ut plus dicam : Qui scit & solum facit, & alios non docet, tenebitur Domino reddere rationem. Cum enim juxta Apostolum Joannem : Qui odit fratrem suum, homicida sit : & qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab illo, quomodo manet in eo charitas Dei : Quanto magis qui viderit fratrem suum errantem, & mortalibus oppressum criminibus, & non ministraverit ei verbum doctrinæ : ille qui doctus est, homicida & sine charitate est?

Timeatis ô doctores, & rectores, quibus injungit Dominus prædicationis officia : ut populo suo verbum dominicum ministratis. Quot enim vel vestro exemplo, vel vestri negligentia peccatis moriuntur : tot de manu vestra requiret Dominus. Quanto enim estis altiores gradu : tanto majoribus cruciabitur cruciatibus. Non estis domini : sed pastores. Unus Dominus est : & unus pastor principalis, qui cognoscit oves suas, & exquiret eas de manibus vestris.

Heu quot hodie in Ecclesia sunt non pastores, sed mercenarii, ad quos nihil pertinet de ovibus Jesu Christi. Quinimò, ut & vera dicam & ipsimet sciunt, sunt lupi rapaces : qui & oves rapiunt & dispergunt. Certè nil pejus, nil abominabilius, quam cum ille qui custodire deberet, dissipat. Heu quot hodie in aliquibus Ecclesiæ non pastoribus, sed destructoribus, quorum non est pars minor, factum est, ut substantias & labores hominum tanquam infernus insaturabiliter deglutiant. Et non solum eos à peccatis non emendant, sed & ipsimet vel ex sui negligentia, vel suis pessimis ministris, vel suis nefandis operibus eos contrahunt ad illicita. Ita quidem dicam, hos tales si impu-